



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Die XIX. Junii. In Festo S. Julianæ De Falconeriis Virg.

[S.l.], [ca. 1770]

In II. Nocturno.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62798](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62798)

IN II. NOCTURNO.

Le^ctio IV.

Juliana ex nobili Falconeria Familia Clariſſimo Patre, qui templum Deiparæ ab Angelo salutatæ ære suo magnificè à fundamētis Florentiæ, ut nunc visitur, erexit, Matre Reguardata, ambobus jam senescen- tibus, ac ad id tempus sterilibus, nata est anno millesimo ducentesimo septuagesimo. Ab incunabulis non exiguum futuræ sanctitatis specimen dedit: vagientibus quippe labris, suavissima JESU, & Mariæ nomina ultrò proferre audita est. Pueritiam postmodum in- gressa totam se christianis virtutibus manci- pavit, in quibus adeò excelluit, ut Beatus Alexius patruus, cuius institutis, ac exem- plis instruebatur, Matri dicere non dubita- verit, ipsam non foemina peperisse, sed An- gelum; nam ita modesto vultu, animoque ab omni, vel levissimâ erroris maculâ pura fuit, ut oculos nunquam in toto vitæ cursu ad hominis faciem intuendam erexerit, au- ditoque peccati vocabulo contremuerit, imò sceleris narratione perculta, illicò propè exanimis corruerit. Expleto nondum deci- moquinto ætatis suæ anno, re familiari, licet opulenta, terrenisque posthabitis nuptiis, Deo virginitatem in manibus divi Philippi Benitii solemniter vovit, ab eoque omnium prima

pri
ut

J
te
di
M
leg
de
D
nu
ta
cu
co
se
qu
du
pi
di
en
ex
ta
fe
lit
da
co
nu

I

prima religiosum Mantellatarum habitum,
ut dicunt, sumpsit. *¶* Propter veritatem.

Lectio V.

Julianæ exemplum secutæ sunt plurimæ
ex nobilioribus Familiis fœminæ, ac Ma-
ter ipfa Filiæ sese religiosè instituendam de-
dit, ita ut, aucto paulatim numero, Ordinem
Mantellatarum instituerit, ac illi piè vivendi
leges summâ prudentiâ, ac sanctitate tradi-
derit. Ejus virtutes cùm optimè perspectas
Divus Benitus haberet, morti proximus,
nulli melius, quām Julianæ, non fœminas
tantum, sed & totum Servorum Ordinem,
cujus Propagator, & Moderator extiterat,
commendatum voluit. Verūm ipsa demissè semper de-
se cogitabat, & cùm cæterarum esset Magistra, in re quâ-
que domesticâ, licet vili, Sororibus famulabatur. Assi-
diuitate orandi integros insumebat dies, in ecstasi sæ-
piissimè rapta, & si reliquum, in sedandis Civium disli-
diis, criminosis à via iniquitatis retrahendis, ac inservi-
endis impendebat ægrotis, quorum quandóque saniem
ex ulceribus manantem admoto ore lambens, eos sani-
tati restituebat. Corpus suum flagris, nodosis funiculis,
ferreis cingulis, vigiliis, humili nudæ cubando, terere so-
lita fuit. Parcissimè cibo, & hoc vili quatuor hebdoma-
dæ diebus, & reliquis duobus solo Angelorum pane
contenta, excepto die Sabbati, quo pane solo, & aquâ
nutriebarur. *¶* Dilexisti justitiam.

Lectio VI.

Durâ hujusmodi vivendi ratione in stomachi mor-
bum incidit, quo ingravescente, cùm septuagesi-
mum

mum ætatis annum ageret, ad extremum vitæ spatiū
redacta est. Diuturnæ valetudinis incommoda hilari
vultu, constantique animo pertulit: de uno tantum
conqueri audita est, quod, cùm cibum capere, ac reti-
nere nullo modo posset, ab Eucharistica mensa, ob Sa-
cramenti reverentiam arceretur. Verùm his in angustiis
constituta, Sacerdotem rogavit, ut allatum divinum
Panem, quem ore sumere nequibat, pectori saltem ex-
terius admoveret. Precibus illius morem gessit Sacer-
dos; & mirum! Eodem temporis momento, divinus
Panis disparuit, & Julianæ sereno, ac ridenti vultu expi-
ravit. Res supra fidem tamdiu fuit, donec virgineum
de more curaretur corpus; inventa enim est circa sini-
strum pectoris latus carni veluti sigillo impressa forma
Hostiæ, quæ Christi crucifixi effigiem repræsentabat.
Hujus prodigiī fama, cæterorūmque miraculorum,
non Florentiæ tantum, sed totius Christiani Orbis ve-
nerationem illi conciliavit, ac per quatuor propè inte-
gra sæcula adeò aucta est, ut tandem Benedictus Papa
decimus tertius in ejus celebritate Officium proprium
recitari ab universo ordine Beatæ Mariæ Virginis Ser-
vorum jusserit. Clemens vero duodecimus munificen-
tissimus ejusdem Ordinis Protector novis indies mira-
culis coruscantem, sanctarum Virginum Catalogo ad-
scripsit. ¶ Afferentur Regi.

IN III. NOCTURNO.

*Homil. S. Gregorii Papæ in Evang. Simile
erit regnum cœlorum decem Virginibus.*

*Nona Lect. SS. Gervasii, & Protasii, &
Commem. ad Laudes.*

Missa de Comm. Virginum. Dilexisti &c.

*In secundis Vesperis, Commemoratio S.
Silverii Papæ & Martyris.*